

num quæritur, num in solutione calcis solis, forma metallica destruat?

Ad quod respondeo, eam minimè gentium destrui realiter. Quod si namque verè destructa esset, non posset reduci.

Nam quod semel corruptum est, idem numero redire nequit. Atqui ex solutione illa, idem numero aurum, difficulter quidem, reducitur tamen; Ergo in illa solutione, aurum non est destructum realiter. Anglus tamen ille, cujus supra memini, gloriatur, Aurum verè ac realiter in sua solutione destrui: At hoc ipsum contra veritatem, conscientiam, & experientiam. Ipsum namq; ejus aurum potabile, quomodo interventu salis tartari, per ignem primò reverberationis, deinde fusionis reducatur, possum ad oculum ego demonstrare, quàm miserè se involvat idem, quando ait, in solutione sua auri, destrui formam metallicam, & nihilominus in eademmet solutione Aurum sub sua specie conservari. Ita certè per illum, unum idemque aurum, simul erit & non erit aurum, erit & non erit metallum. Veruntamen negandum non est, in auro soluto metallicam formam certo modo destrui, videlicet non quoad esse intrinsecum metalli, sed duntaxat, quo ad ipsius esse extrinsecum. Rectiùs non destrui quidem ipsam formam metallicam, sed superventu solventis, in cujus quasi gremio, penitissimè reconditum aurum delitescat, ut non nisi difficulter, inde protrahi possit, solum modò obliterari.

Alterum secundi problematis membrum est, num possibile sit, solvere ita aurum, ut forma metallica prorsus destruat?

Qua quidem in re, etiamsi omnes chymicos ferè